Videndi hac de re P. Hieron. Platus de bono ſtatus religioſi lib. 2. c. 11. & 12. & P. Nigronius in Regulas communes Societatis Jeſu ad Regulam 4. à num. 14. & P. Theophilus Raynaudus de Martyrio per peſtem parte 1. cap. 3. qui multos Eccleſiæ Patres referunt pro hoc argumento.

Ad Galat. 5. 24. — *S. Ambroſ.* — *Gazæus.* — *Ad Roma. 6. 5.* — *S. Bernar.* — *Canti. 8. 5.*

1645 Hùc potiſſimùm Paulus ſpectabat ad Galat. 5. 24. *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Ubi vocem *Chriſti* in recto multitudinis caſu eſſe putat S. Ambroſius, qui ita explicat: *Qui enim Chriſti devoti ſunt, hos dicit Chriſtos.* Quod obſervat, & tuetur etiam Claudius Guillialdus ad ea Pauli verba. De religioſæ vitæ profeſſoribus ſignatim explicat Procopius Gazæus in cap. 62. Iſaiæ. *Monachorum cœtus, de quibus apud Paulum in hæc verba legimus: Qui autem Chriſti ſunt, carnem crucifixerunt cum affectibus, & cupiditatibus.* Porrò Religioſos viros *Chriſtos* Apoſtolus appellat, ut qui ſpirantes ſint crucifixi Jeſu imagines. Conſonat ſibi Paulus ad Rom. 6. 5. *Si complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus*, &c. Græcè, *ſi conſiti*, ſeu *coninſititii*; ubi ſub arboris metaphora, inſitionis, ſive complantationis typo ſermo eſt de iis, qui Chriſto confixi ſunt Cruci, & inſiti arbori ſalutiferæ; ut Cedrus Cedro, ut Cupreſſus Cupreſſo, ut Palma Palmæ, &c. Apparet enim in multiplici Religioſorum inſtituto multiplex crucifixi Jeſu gloria. Et quidem de Monachis verba Pauli ſingillatim capit S. Bernardus de Præcepto, & Diſpenſatione c. 23. *Quaſi ſecundò baptizamur, dum per id, quod mortificamus membra noſtra quæ ſunt ſuper terram, rurſum Chriſtum induimus, complantati denuò ſimilitudini mortis ejus.* Quò referas illa Sponſi verba Cantic. 8. 5. *Sub arbore malo ſuſcitavi te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua*: vel, ut Hebræa ſonant; *Ibi concepit te mater tua, ibi parturiit te genitrix tua*: nempe ſub ſalutaris, arboris ſanctæ Crucis umbra, cujus eſt fructus fundatio ſtatus religioſi, & ubi fundatores tam ſublimem cogitationem conceperunt, atque illam demum, tanquam partum feliciſſimum in lucem protulerunt. Ita peregregiè explicat noſter Alcazar.

Religioſi Chriſto militant & Deiparæ. — *S. Chryſ.* — *S. Baſili.* — *S. Iuſtinia.*

1646 Quintò probari poteſt ex fine ultimo, & ſuo modo peculiari, & proprio ſtatus religioſi, qui eſt Dei Jeſu, ac Deiparæ Matris major cultus, & gloria: Religioſi enim, amandatis vitæ commoditatibus, & carnis illecebris, quæſtuoſum ſibi lucrum putant, Deo Deiparæque, ac Dei Virginiſque gloriæ militare; quem in finem omnis religioſi inſtituti deſudat induſtria. Unde S. Chryſoſtomus in lib. de comparatione Regis, & Monachi, Religioſum appellat, *qui totam vitam ſuam Dei cultui mancipavit, & ſe totum Deo dedit, & pro pietate, ac Dei cultu cum Dæmonibus bellum gerit.* Et Magnus Baſilius in Regulis fuſiùs diſputatis, Interrogatione 7. fine, loquens de religioſo inſtituto, ait: *Propoſitum ſibi finem habet gloriam Dei ex præcepto Domini noſtri Jeſu Chriſti, dicentis: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* Et S. Laurent. Juſtin. lib. de obedien. c. 18. *Sunt diverſæ Chriſto Domino famulantium congregationes, quæ licèt ſint in habitibus diſtinctæ, variæ in Conſtitutionibus, & in ceremoniis diſcretæ, unâ tamen intentione glorificandi Deum ſe exercendo deſudant.* Idem omnino dicendum de B. Virgine, cujus gloriæ illuſtrandæ & promovendæ maximopere incumbunt ſingulæ Religioſorum Familiæ, ut ex infrà dicendis conſtabit. Fit igitur inde, jure merito Chriſtum, & Deiparam exaltatos prædicari in religioſis Ordinibus uti Cedrum in Libano, uti Cupreſſum in monte Sion, &c. nempe *per externum cultum*, (ut Lyranus explicat) & præexcelſam gloriam, cujus ſunt Religioſi quæſtuosè avari; quamque maximè exambiunt, & cumulatiùs augent.

Varia Religioſæ Eccleſiæ pulchritudo, & majeſtas.

1647 Sextò, reſplendet in hac noſtra explicatione, non una, ſed multiplex, & varia Religioſæ Eccleſiæ pulchritudo, & majeſtas, quam deſignat multiplex montium & locorum dignitas, Libani nempe, Sionis, ſive Hermonis, Cades, Gaddi, ſive Engaddi, Jericho, Campi amœni, & Platearum. Unde multiplex aſſurgit Chriſti, & Deiparæ gloria, & ſublimitas in arborum & plantarum decore vario, & dotibus typicè præſignata. Certè homogeneum quid eſt ſtatus Religioſus, ſi principales nexus trium votorum inſpiciantur; ſi verò cujuſque ſacri Sodalitii ritus, finis, & media, quibus ad eum finem tendit, perpendantur, quid varium & diſſimile eſt. De quo noſtri Suarez tom. 4. de Religione, tractatu 9. lib. 1. cap. 1. Nigronius in Regul. Commu. Societatis, ad Tituli particulam 3. num. 8. Platus de Bono ſtatus religioſi l. 2. cap. 24. Hanc porrò ſacrarum familiarum varietatem in montium ac locorum varietate à Siracide commendata pulcherrima deſignari, exiſtimo. Etenim duo in primis montes commendantur ab Eccleſiaſtico totâ celeberrimi Palæſtinâ; videlicet *Libanus* & *Sion*, ſeu *Hermon.* Deinde quatuor aſſignantur præſtantiſſima loca; ſcilicet *Cades*, ſeu *Engaddi*, *Jericho*, *campus amœnus*, *& plateæ.* Per illos duos montes *ſignificari vitam contemplativorum*, Hugo Carenſis rectè obſervat: *nam in Libano naſcitur thus devotionis, quæ eſt ſapientia: Sion interpretatur ſpecula, quæ eſt intellectus.* Unde opportunè explicat: *Sicut Cedrus exaltata ſum in Libano, id eſt, in contemplativis devotis, & ſicut Cypreſſus in monte Sion, id eſt, in contemplativis ſpeculativis.* At verò quatuor illis locis *ſignificari vitam activorum, in quibus vigent maximè conſilium, & fortitudo, & ſcientia & pietas*, idem Hugo autumat, atque ſubinde interpretatur: *Sicut palma exaltata ſum in Cades*, &c. *id eſt, in bonis activis.*

Vita activa & contemplativa. — *Hugo.*

1648 Quis ergo in hac montium, & locorum partitione non illicò animadvertat univerſalem Religioſi ſtatus diviſionem in activam & contemplativam vitam? Sunt enim quædam Religiones, quæ proximorum juvandorũ ſarcinâ exoneratæ, integrâ fruuntur contemplationis voluptate, & quietis otio; & ſunt aliæ, quæ tametſi contemplationibus tempora convenientia dent, praxim utique ſpeculationibus divinis jungunt, Sacramenta Orthodoxis adminiſtrando, prædicationibus, & Catecheſi eos inſtruendo, & alia charitatis & miſericordiæ opera exercendo. Hæ activæ abſolutæ appellantur; illæ verò contemplativæ. Atque hæc bimembris Religionis diviſio ſufficiens videtur eſſe, juxta communem ſententiam cum S. Thoma 2. 2. quæſt. 179. art. 1. ut obſervat noſter Suarez tom. 4. de Religione tractatu 9. lib. 1. cap. 5. numer. 10. etſi multi alii, majoris claritatis gratiâ, tertium addant membrum Religionis mixtæ ex contemplatione

platione & actione, quæ perfectior eſt ſolâ contemplativâ ex receptiſſimo Theologorum placito apud Suarium eo lib. 1. cap. 6.

Religiones quæ contemplativæ vitæ vacant.

1649 Igitur ſub montis *Libani*, & *Hermonis* typo Monachales omnes Religiones comprehendo, quæ contemplativæ dant operam vitæ, ſibique proſpiciunt, aliis exempti Eccleſiaſticis miniſteriis: ut olim Carmelitana, & Auguſtiniana, & nunc Benedictina, Cluniacenſis, Ciſtercienſis, Camaldulenſis, Carthuſiana, Hieronymitana, & ejuſmodi aliæ. Si verò expendas quæ de his montibus ſuprà ſtatuimus, facilè tibi erit noſtrum illuſtrare argumentum. Horum enim montium multiplex diviſio, ſeceſſus, nomenclatura, etymon, mira altitudo, ros de cælo, fontes & flumina, quibus mons ipſe, ſubjectæ valles, & planities irrigantur, quid, quæſo, aliud ſonant, niſi Monaſticarum Religionum multiplicitatem, ſolitudinem, ſeceſſum, contemplationem, virtutum praxim, Spiritus ſancti rorem de cælo, laudes divinas, vitæ puritatem, inſtituti ſublimitatem, doctrinæ fontes, & flumina?

Et quæ contemplativæ & activæ. — *Hugo.*

Rurſus, ſi poſteriores in Eccleſia Religioſas familias, præſertim ab anno 1215. earumque vitæ rationem, & inſtituta conſideres, facilè reperies, eas ferè omnes activam vitam ex ſuo proprio inſtituto amplecti, interque hominum cætus verſari. Ejuſmodi ſunt ſacri Dominicanorum, Franciſcanorum, Trinitariorum, Mercenariorum, Minimorum, Jeſuitarum, & aliorum Clericorum Ordines: qui quidem licèt partim contemplationi, partim divinis laudibus vacent, doctrinæ tamen, prædicationi, ac Sacramentorum adminiſtrationi inſiſtunt, aliiſque Charitatis operibus, prout fert cujuſque Religionis inſtitutum. Has ergo Religioſas Familias typicè præſignatas exiſtimo quatuor illis locis, *Cades*, ſive *Engaddi*, *Jericho*, *Campo armœno*, & *Plateis*, utpote quæ loca hæc ſint vel prope civitates ipſas, vel hominum frequentiâ celeberrima. His porrò (ut Hugo Cardinalis interpretatur) *Activorum vita ſignificatur, in quibus vigent maximè conſilium, & fortitudo, & ſcientia, & pietas.* Adde; & in quibus Chriſtus ac Deipara mirificè exaltantur uti Cedrus in Libano, uti Cypreſſus in monte Sion, ſive Hermon, uti Palma in Cades, ſive Engaddi, uti plantatio roſæ in Jericho, uti oliva ſpecioſa in campis, uti platanus juxta aquam in plateis.

SECTIO XXXV.

Similibus ſacræ Scripturæ teſtimoniis idem comprobatur argumentum: & Status Religioſus oſtenditur ad inſtar eſſe Paradiſi.

Novum Eccleſiæ viridarium Religioſæ familiæ. — *Iſai. 35. 1.*

1650 Dictis adjungo aliam tum ſolidam, tum amœnam noſtri argumenti probationem ex ſimilibus deprompeam inſpiratæ Scripturæ locis. Etenim dum exaltari audio Jeſum, & Mariam in Religioſis familiis tanquam Cedrum, Cupreſſum, Palmam, Roſæ plantationem, Olivam, & Platanum; delicioſum Paradiſi hortum conſidero, novum Eccleſiæ viridarium mille jucundum amœnitatibus, ſtatum nempe Religioſum, qui & terreſtri & cæleſti Paradiſo perſimilis eſt. Nobiliſſimum audiamus Prophetam Iſaiam non ſemel hac de re vaticinantem. In primis cap. 35. 1. de aureo Evangelii ſæculo prædicens ſic fatur: *Lætabitur deſerta, & invia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium* (Hebraicè, *quaſi roſa.*) *Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans. Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron.* Dabit Eccleſiæ univerſali ſacras Religioſorum familias, montes porrò illuſtriſſimos omni conſpicuos amænitate, ac proceriſſimis arboribus: ut aridum & infructuoſum Gentilitatis deſertum, ſic appareat irriguum, amœnum, vernum, floridum, fæcundum, ut pulcherrimi montes Libanus, & Carmelus, & Saronis ager pinguiſſimus. Quid verò ſubindè? Subtexit continenter: *Ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.* S. Hieronymus legit: *& altitudinem Dei noſtri*: id eſt, Chriſtum glorificatum & exaltatum; Chriſtique decorem & altitudinem in Religioſis Ordinibus, uti Cedri in Libano, uti Cypreſſi in monte Sion, &c.

Iſai. 41. 18. — *S. Hieron.*

1651 Sibi conſonat Iſaias cap. 41. 18. dum Prophetico penicillo ſummam Eccleſiæ Chriſtianæ felicitatem, & amplificationem depingit. *Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes, &c. Dabo in ſolitudinem Cedrum, & ſpinam, & myrthum, & lignum Olivæ: ponam in deſerto abietem, ulmum, & buxum ſimul.* LXX. ponunt *& Cypariſſum.* Certè hanc aquarum exuberantiam in ſolitudine quondam ſitiente, eſſe cæleſtium donorum, & gratiarum copiam in Religioſis Chriſti Familiis, facile eſt intelligere. Hâc ipſæ fæcunda irrigatione exuberantes, undique amœniſſimis, & fructiferis arboribus vernant, Cedris, ſpina, ligno imputribili, myrthis, olivis, abietibus, ulmis, buxis, cupreſſis, *quæ varietates arborum*, (ut Hieronymus exponit) *diverſitatem ſignificant gratiæ ſpiritualis*: vel virtutum eximias quaſdam rationes, juſtitiæ, prudentiæ fortitudinis, temperantiæ, & aliarum ut alii volunt: Vel etiã Confeſſores, Doctores, Martyres, Virgines, uti non pauci interpretantur. His omnibus ſummopere Status excellit Religioſus, uber & frugifer, perpetuoque vernans Eccleſiæ Paradiſus. Videſis S. Gregorium Magnum Hom. 20. in Evangelia.

Iſai. 51. 3. — *S. Damianus.* — *Clauſtrum eſt Paradiſus.* — *Iſai. 60. 13.*

1652 Haud diſſimilis ſibi idem Vates c. 51. v. 3. *Conſolabitur Dominus Sion, & conſolabitur omnes ruinas ejus; & ponet deſertum ejus quaſi delicias, & ſolitudinem ejus quaſi hortum Domini. Gaudium, & lætitia invenietur in ea; gratiarum actio, & vox laudis.* Per Sionem, *Eccleſiam* intellige in Sione tanquam in imagine repræſentatam, in exordio ſuo ſterilem & quaſi deſertam. Eam porrò numeroſâ ſobole implendam, promittit; non Chriſtianâ ſolùm, ſed Religioſâ præſertim. Hanc Paradiſum voluptatis ſeu deliciarum, & Hortum Domini appellat nobilibus atque frugiferis arboribus & plantis conſitum: in quo eximia virtutum omnium amœnitas apparet, fructus uberes atque mirifici; & reſonant feſtivi cantus, gratiarum actio, atque laudantium chori. Ut enim pulchrè S. Petrus Damian. Ser. 5. de S. Nicolao Epiſcopo: *Verè clauſtrum eſt Paradiſus, hîc prata virentia ſcripturarum, præterfluens lachrymarum undoſitas. Hîc ſunt arbores erectiſſimæ, chori ſanctorum, nullaque eſt, quæ non multâ fructus gaudeat ubertate.* Et Opuſculo 52. c. 26. *Monaſterium veſtrum, dilectiſſimi, quidam Paradiſus eſt.*

1653 Iterum Iſaias noſtro ſplendorem conciliat argumento, dum eximiam Orthodoxæ Eccleſiæ gloriam commendat c. 60. v. 13. *Gloria Libani ad te veniet, abies & buxus, & pinus ſimul ad ornandum locum ſanctificationis meæ, & lo-*

& locum pedum meorum glorificabo. LXX. vertunt: *Gloria Libani ad te veniet, in Cypariſſo, & pino, & Cedro ſimul.* Has arbores *gloriam Libani* appellat, quæ amœnum reddiderunt, atque conſpicuum Libanum. Sed figuratè &

S. Hierony.

ſpiritualiter accipiendæ cum S. Hieronymo pro viris doctrina & ſanctitate præſtantibus.

Pulcherrimæ arbores extant viri doctrina & ſanctitate conſpicui.

Vir ſanctus, & eloquentiſſimus Martyr Cyprianus, & noſtri temporis Confeſſor Hilarius, nonne tibi videntur excelſæ quondam in ſæculo arbores ædificaſſe Eccleſiam Dei? Ad Religioſas omnes Eccleſiæ Familias referenda hæc Iſaiæ prædictio eſt: à Religioſorum enim ſanctitate, & doctrina habet Eccleſia glorioſum apparatum & ornamentum; Cedrum, buxum, abietem, pinum, Cypariſſum, id eſt, ſolidas virtutes odorem ſuaviſſimum exhalantes, nec cariem ullam patientes, quibus ſpecioſè, & firmiter ingens Eccleſiæ moles conſtruitur, & amplificatur. Unde illicò ſubdit: *Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te. Et vocabunt te Civitatem Domini, Sion ſancti Iſrael.* Ut enim ſapienter obſervat Sozomenus lib. 1. c. 12.

Sozomenus.

Per id temporis, qui Monaſticum vitæ genus excolebant, cùm Eccleſiam maximè omnium illuſtrare, tùm religionem Chriſtianam ſuis piis vivendi inſtitutis magnopere dilatare viſi ſunt.

1654 Poſtremum Iſaiæ teſtimonium ex c. 61. deſumo: cùm enim de Eccleſia univerſali prænunciaſſet, ſubtexit v. 3. *Et vocabuntur in ea fortes juſtitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.* Hebraicè, *fortes juſti in ea erunt.* LXX. vertunt; *generationes juſtitiæ.* Tigurina, & Caſtro, ac multi alii communiter ex Hebræo transferunt, *arbores juſtitiæ*; quod ex ſequentibus verbis confirmatur: *plantatio Domini ad glorificandum.* Vatablus explicat: *arbores juſtitiæ, id eſt, homines, qui proferant fructus juſtos & bonos.* Hi procul dubio viri Religioſi ſunt, qui quod rectum eſt, aggrediuntur, & peragunt; qui nihil audent non juſtum, nihil volunt niſi quod recta ratio, æquitaſque præſcribit; qui uberes, ac ſuaviſſimos juſtitiæ, id eſt, totius ſanctitatis, fructus ferunt. Verè ipſi *abrores juſtitiæ*: de quibus præclarè Origenes Hom. 16. in c. 26. Levitici. *Habemus*, inquit, *arbores intra nos. Non eſt ficus, neque malus, nec vitis; ſed una arbor juſtitia vocatur, alia prudentia, alia fortitudo, alia temperantia nominatur. Et ſi vis, majorem adhuc arborum multitudinem diſce, quibus fortaſſe digniùs putabitur conſitus Paradiſus Dei. Eſt enim ibi arbor pietatis, eſt & alia arbor ſapientiæ, eſt & alia diſciplinæ, eſt & alia ſcientiæ boni & mali. Super omnia verò eſt & arbor vitæ.* Ecce quales arbores in Religioſis Familiis enaſcantur, ecce quales fructus Religioſus ferat ſtatus; verè Dei Paradiſus, verè *plantatio Domini ad glorificandum*: id eſt, *ut glorificem me in illis*; aut, *ut ex illis glorificer*, explicat Vatablus. O quàm glorioſus apparet Chriſtus Dominus, quàm glorioſè exaltatus in ſacris Religioſorum Ordinibus! Sicut Cedrus, ſicut Cypreſſus, ſicut plantatio roſæ, ſicut oliva ſpecioſa, ſicut platanus. O verè Dei manu plantatus Paradiſus voluptatis.

Iſai. 61. 3.

Arbores juſtitiæ, Religioſi.

Vatab.

Origenes.

1655 Numer. 24. 6. Balaam prophanus Vates, irruente in eum Spiritu Dei, ex ardui montis ſupercilio Iſraeliticum populum contuens, & in illo Religioſam præſertim Eccleſiam contemplans, ſic prædicebat: *Quàm pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Iſrael! Ut valles nemoroſæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula, quæ fixit Dominus; quaſi Cedri prope aquas.*

Numer. 24. 6.

Origen.

Atqui Origenes Hom. 17. in Numeros, hæc ad perfectorum cœtum transfert; quorum corpora *tabernacula*, vel ut ipſe vertit, *Domus Jacob* appellari putat: *Jacob eſt enim corpus laudabile cum continentia, & caſtitate, nonnunquam etiam cum martyrio decoratur.* Eorundem verò animas, tentoria, ſeu tabernacula Iſrael vocari exiſtimat: *Tabernacula ad animas perfectas referri poſſunt, quibus & nomen à videndo Deum convenit Iſraelis.* Quod planè in Religioſum ſtatum apprimè cadit, viroſque Religioſos. Hos vocat *valles nemoroſas*; Hebraicè, *ſicut valles expandentes*, ſcilicet arborum ſuarum ramos. LXX. *ſicut valles obumbrantes*; nec non *Hortos juxta fluvios.* Vel ut Origenes, & alii legunt; *ut paradiſi ſuper flumina.* Rurſus eos appellat *tabernacula, quæ fixit Dominus.* Vatablus, & Chaldæus efferunt: *arbores aromaticas, quas plantavit Dominus.* Ac denique *Cedris* comparantur, *juxta aquas.* Audi S. Athanaſium in vita S. Antonii. *Quis tantum Monachorum agmen aſpiciens, quis virilem illum concordiæ cœtum cernens, in quo nullus nocens, nulla detractio ſuſurronis, ſed multitudo abſtinentium; non in hanc ſtatim erumpet vocem? Quam bonæ domus tuæ Jacob, tabernacula tua Iſrael! tanquam nemora obumbrantia, tanquam paradiſus ſuper fluvios, tanquam tabernacula, quæ fixa ſunt à Domino, tanquam Cedri Libani circa aquas.* Quid luculentius? Et quid plura pro Religioſorum cœtu, paradiſo deliciarum fertili, virtutum fructibus prædivite, & arborum variâ & numeroſâ prole?

Vatab.
Chaldę.

S. Athana.

1656 Hinc nova quædam lux affulget illis Pſ. 44. verbis: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate.* De Eccleſia ſermo eſt, vel de B. Virgine omnium Imperatrice. Sunt qui per hanc Reginam adumbrari putent Statum Religioſum. Sed quid, quæſo, eſt, quòd aurata hæc Eccleſiæ, vel Deiparæ veſtis *circumdata varietate* ſit? Si grammaticalem ſenſum ſpectet, & vocem Hebræam *Rikmah*, ſeu *rekmoth*, veſtimentum commendatur non ſolum aureum, ſed *varium, variegatum, varietate acupictum*, ſeu Phrygionicæ artis puncturis diſtinctum. Si verò (ut alii volunt) hæc varietas telæ ipſi intexta ſit; ſic illam concipe, ut aureorum liciorum permutatione, artificioſaque diverſi coloris filamentorum depreſſione, immiſſione, elatione, multiplices, eæque pulcherrimæ rerum imagines efformatæ apparerent. Arbores, & plantæ, lilia roſæque, & hujuſmodi formæ aliæ expreſſæ in hoc Eccleſiæ amictu recenſeri ſolent ab expoſitoribus ſacris, ex veterum more; qui veſtes variis illis figuris ſeu pictas, ſeu intextas portare conſueverant. De quo plura noſtri Pineda lib. 5. de Rebus Salomonis ad illum Pſ. 44. Pradus in cap. 16. Ezechielis, & Sherlogus in c. 1. Canticorum Veſtigatione 15. Sectione 2. Operam luſero, ſi veterum teſtimonia referre velim. Itaque illa in chlamyde fila aurea, & holoſerica in multiplices ducta, reductaque ambages frondeſcebant in nemora, aſſurgebant in montes colleſque; ſpatiabantur in valles, formabantur in lilia roſaſque.

Pſ. 44.

רקמה
רקמות

Veſtis Eccleſiæ florida, amœna, & varia Religioſus ſtatus.

1657 Si autem principem ſenſum hujus hemiſtychii, *circumdata varietate*, inſpiciamus; & quid artificioſa illa, pulchra, varia, & amœna Eccleſiæ, aut Deiparæ veſte adumbretur, ſcire cupimus, arridet ſummopere noſtri Alcazaris mens feriò exiſtimantis, *tot tam variaque religioſorum Ordinum inſtituta* figurari.

Quæ

Quæ interpretatio adſcribenda in primis eſt Sancto Bernardo in Apologia ad Guilielmum Abbatem, & Petro Bleſenſi in Invectiva, & Epiſt. 97. quibus ſubſcribit noſter Nigronius in Regulas Communes noſtræ Societatis in tertia Tituli parte numero 8. & noſter Suarez tom. 4. de Religione Tractatu 9. lib. 1. cap. 1. num. 12. Bernardi verba de Religioſa Eccleſia loquentis, ſunt:

S. Bernard.

Quæ utique tam pluribus, tamque variatur diſſimilibus Ordinibus, utpote Regina, quæ in Pſalmo legitur, circumamicta varietatibus. Ecce quò ſpectet illa tam amœna, tam florida in Eccleſiæ ſeu Deiparæ paludamento varietas. Arborum & plantarum, montium, & vallium imaginibus erat interſtincta veſtis. Cedrus in Libano, Cupreſſus in monte Sion, Palma in Engaddi, plantatio roſæ in Jericho, oliva ſpecioſa in campis, platanus juxta aquam in plateis, diſcoloribus filis, aureiſque, ac fulgentibus gemmis & margaritis ibi ſubtiliter & ingenioſè, mirabilique varietate diſtinctæ & efformatæ conſpiciebantur; quibus procul dubio Regularium Ordines inter ſe fine particulari, muneribus, ritibus, habituque diverſi deſignabantur. Hi Religioſorum Ordines ſunt, qui Eccleſiam & Deiparam pulchrâ exornant varietate, qui tantæ Reginæ multicolorem cultum ſubminiſtrant. Verè Iſaias cap. 49. 18. ad Evangelicam Eccleſiam, ad Dei Genitricem: *Omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos quaſi ſponſa.* Sic ſplendidè veſtiuntur & ornantur variis Religioſorum Ordinibus. Sed jam de ſingulis ſingillatim agamus, prout noſtra tulerit ingenii tenuitas.

Iſai. 49. 18.

SECTIO XXXVI.

De pervetuſto, & ſacro Carmelitarum Ordine Eliano per montem Galaad, Libani caput, præſignato.

1658 In primis montem Libanum, & eos etiam montes, in quos ipſe dividitur, ſingulis Monachorum religioſis familiis; deinde quatuor illa loca ſingulatim reliquis Religioſorum Ordinibus concinnè, Deo dante, adaptabimus. Atqui ex ſuprà ſtabilitis n. 1607. mons Libanus πολυώνυμος extat, id eſt, multa nomina habens juxta montium diverſitatem, in quos ipſe partitur. Quinque ſortitur nomina. Ea ſunt 1. mons *Galaad.* 2. mons *Libanus.* 3. mons *Amana.* 4. mons *Sanir.* 5. mons *Hermon.* Totidem numerare licet religioſas Monachorum familias; quarum princeps, & quaſi caput, ſi pervetuſta ejus origo expendatur, extat dubio procul religioſiſſimus Carmelitarum Ordo.

Libani multa nomina, & partes.

Vetuſtas Carmelitanorum.

1659 Etenim cùm videam hanc nobiliſſimam familiam à temporibus Prophetarum, & ſignatim à ſanctiſſimi Eliæ inſtitutione ſuam trahere originem, & quaſi hæreditariam ſucceſſionem; idque ſeptem Pontificum Sixti IV. Joannis XXII. Julii III. Pii V. Gregorii XIII. Sixti V. & Clementis VIII. auctoritate roboratum animadvertam; cùm videam à Sixto V. huic ſacro Ordini jure merito datum, ut Eliam, & Eliæ diſcipulum Eliſæum tanquam ſuæ inſtitutionis Patriarchas feſtivè colant: cùm videam tot, eoſque nobiliſſimos ſcriptores, & è noſtra Jeſuitarum familia quamplures, vetuſtiſſimam hanc traditionem ſuſcipere, nefas duxi nonnihil huic ſacræ Carmelitarum familiæ de ſua vetuſtate detrahere. Id circò ſub montis *Galaaditani* typo eam eſſe prædictam ab Eccleſiaſtico affirmo, præſertim cùm noverim à Jeremia cap. 22. 6. Galaad caput Libani appellatum: *Galaad tu mihi caput Libani.* Rectè ergo in eo monte, qui caput, & principium Libani extat, ea debet Religioſorum familia adumbrari, quæ vetuſtatis ordine, caput eſt, ac veluti principium cæterarum. Nec deſunt huic noſtræ exiſtimationi fulcimenta alia. Nonnulla attingo.

Galaad caput Libani.

Jerem. 22. 6.

1660 Primum deſumo ex ipſius ſanctiſſimi Patriarchæ Eliæ patria, & habitationis loco, ubi religioſum cœtum inchoavit. Ut enim graves obſervant ſcriptores, & omnium optimè Joannes ille Jeroſolymitarum Antiſtes, ordine quadrageſimus quartus (de cujus auctoritate, ne ulla ex parte nutare poſſit, dicam inferiùs) in libro de Inſtitutione primorum Monachorum cap. 1. *Ortus eſt Elias in civitate Thesba, quæ eſt in regione Galaad, quæ ab ipſo monte nomen eſt ſortita, ſicut & regio monti illi circumvicina, trans Jordanem ſita, in ſorte dimidiæ Tribus Manaſſe.* De quo etiam Dorotheus in Synopſi to. 7. Bibliothecæ veterum Patrum, & Adrichomius in Tribu Gad, n. 47. vide 3. 17.

Elias Galaaditanus.

Joann. Jeroſolymi.

1661 Secundò, S. Epiphanius de vita, & interitu ſanctorum, & Dorotheus in ſynopſi affirmant, Eliam non ſolùm *in regione Galaaditide* natum, & educatum, ſed & ibidem habitaſſe. Neque eſt improbabile (addit noſter Sanctius ad lib. 3. Reg. c. 17.) etiam ibi, antequam in terram, quæ verè promiſſionis dicitur, aut ipſe ultrò, aut certè evocatus à Deo ingrederetur, extra montem Carmelum inſtituiſſe aliquam Religionis formam, & ibi religioſum habuiſſe cœtum, quem tamen poſteà in montem Carmelum ſecum adduxit.

Tertiò, expendendum ad rem noſtram Michææ teſtimonium c. 7. 14. *Paſce, Domine, populum tuum in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes ſolos in ſaltu* (id eſt, in Carmelo.) *In medio Carmeli paſcentur Baſan, & Galaad juxta dies antiquos.* Poſtrema hæc verba ſic illuſtrat Joannes ille Præſul: *Intellexit autem per Baſan, & Galaad Monachos montis Carmeli: tum primò, quia quàm plures eorum erant tunc de regionibus Galaad, & Baſan oriundi: tum ſecundò, quia Baſan interpretatur pinguis, & cœtus horum Religioſorum fiebat in medio Carmeli pinguis paſcuis divinis, ſcilicet doctrinis veræ religionis. Galaad quoque interpretatur acervus teſtimonii: & Deus centum horum Monachorum acervavit in monte Carmeli in teſtimonium contra populum Hebræorum.* Quid pro argumento noſtro potius & antiquius? Quandoquidem mons Galaad, ejuſque etymon, nomen quoque indiderat Elianis Monachis. Adde, Galaad locum eſſe, quò Jacob pervenit fugiens Laban Geneſ. 32. unde interpretatur etiam *tranſmigratio teſtimonii*; ut deſignetur illorum Monachorum receſſus à pravis & mundanis affectibus, & à communi hominum convictu. *Ipſe enim Elias* (ait Jean. Jeroſol. cap. 2.) *obtentu contemplationis divinæ, & deſiderio ſublimioris profectus, longè ab urbibus recedens, & ſeipſum cunctis terrenis, ac mundanis exuens, Religioſam, ac prophetalem vitam primus hominum à propoſito ducere cœpit, quam ſancto mandante, & dictante Spiritu inſtituit.*

Michæ. 7. 14.

Religioſi Carmelitani à Michæa laudati.

Joann. Jeroſol.

Galaad etymon.

Joann. Jeroſol.

1662 Ex quibus etiam verbis claret, quò pacto ſacer Carmelitarum Ordo caput ſit, ac

prin-